

munitatem meruerunt. Quaecunque ecclesiæ vel clericis, aut quibuslibet personis, a gloriosæ memorie præfatis principibus munificentia largitate collata sunt, omni firmitate perdurent. Quidquid ecclesia, clerici, vel provinciales nostri, intercedente tamen justo possessionis initio, per triginta annos inconsueto jure possedisse probantur, in eorum ditione res possessa permaneat; nec actio tantis ævi spatii sepulta ulterius contra legum ordinem sub aliqua

A repetitione consurgat, possessione in possessoriis jure sine dubio permanente. Provideat ergo strenuitas universorum judicum, ut præceptionem hanc sub omni observatione custodiant; nee quidquam aliud agere aut judicare, quam ut hæc præceptio secundum legum Romanarum seriem continet, vel sexus quarumdam gentium justa antiqui juris constitutione olim vixisse dignoscitur, sub aliqua temeritate præsumant.

VII.

CHILDEBERTUS, REX FRANCORUM.

CHILDEBERTI, FRANCORUM REGIS,

CONSTITUTIO.

DE ABOLENDIS RELIQUIS IDOLOLATRIÆ, ET DE SACRORUM DIERUM FESTIVITATIBUS CASTE
CELEBRANDIS.

(Ex Labbe appendice tom. V.)

Epistola clementissimi et beati regis nostri Childeberti data per ecclesiæ sacerdotum, vel omni populo.
Credimus hoc, Deo propitio, et ad nostram mercedem, et ad salutem populi pertinere, si populus Christianus relicta idolorum cultura, Deo, cui integrum promisimus fidem, in quantum inspirare dignatus fuerit, pure deservire debeamus. Et quia necesse est ut plebs quæ sacerdotis præceptum non ita ut oportet custodit nostro etiam corrigitur imperio, hanc chartam generaliter per omnia loca decrevimusmittendam, præcipientes ut quicunque admoniti de agro, ubique sacerdotum simulacula constructa, vel idola daemonibus dedicata ab hominibus, factio non statim abjecerint, vel sacerdotibus hæc destruentibus prohibuerint, datis obsequioribus non aliter discedant, nisi in nostris obtutibus præsententur. Qualiter in sacrilegos Deli injuria vindicetur, nostrum est retractandum. Et quia fides nostra, ut verbum de altario a sacerdote faciente, quocunque

B de Evangelio, prophetis, vel Apostolo fuerit annunciatum, in quantum Deus dat intellectum, ad nos querimonia processit multa sacrilegia in populo fieri, unde Deus lædatur, et populus per peccatum declinet ad mortem; noctes pervigiles cum ebrietate, securitate, vel cantibus, etiam in ipsis sacris diebus, Pascha, Natale Domini, et reliquis festivitatibus, vel adveniente die Dominico dansatrices ^a per villas ambulare. Hæc omnia, unde Deus agnoscatur lædi, nullatenus fieri permittimus. Quicunque post commotionem sacerdotum, vel nostrum præceptum, sacrilegia ista perpetrare præsumperit, si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus; si vero ingenuus, aut honoratior fortasse persona est, districta inclusione digna. Sunt hi autem C in pénitentiam redigendi, ut qui salubria et a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, crucians saltem corporis eos ad desiderandam mentis valeat reducere sanitatem.

^a Dansatrices, hoc est saltatrices, verbo illo saeculo et hodie in Gallia usitato, inquit Holstenius.

VIII.

RECCAREDUS, REX VISIGOTHORUM.

RECCAREDI REGIS

EDICTUM DE CONFIRMATIONE CONCILII TOLETANI.

Gloriosissimus et piissimus dominus noster Recaredus rex. D Universorum sub regni nostri potestate consistentium amatores nos suos divina faciens veritas,

^a Hard. ex Ms. : Universis sub regimine nostræ potestatis consistentibus. Amatores nos sui divina, etc.